



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regula LXVII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

num in fidei Christianæ articulis instituit, cap. 2. De cognat. spirit. lib. 6. item in ordinatione Clericorum, can. fin. 1x. quest. 2. & consecratione Ecclesie ab alieno Episcopo facta, can. Episcopus in dice. cesi. 11. quest. 1. item in sententia iudicis durius, ut in l. mori. 9. §. sed D. De interditi. & relog. vel sub conditione lata, l. 1. §. biduum D. Quando appell. fir. Adde casum in l. 3. d. de officio prat. Hæc & si quæ

alia sint, licet prohibente jure fiant, non tamen pro infectis habentur; eò quòd jus expressè illa sustineat ex certis causis, non perseverando intra limites prohibitionis, facit text. in cap. Ad apostolicam 16. circa fin. Ext. de regularib. Aliter in cæteris casibus, qui prohibiti sunt, sed non permitti à jure, in quibus statut. Regulæ nostræ.

REGULA LXV.

In pari delicto vel causâ potior est conditio possidentis.

EX hac Regula efficitur, quòd, si pecunia alicui data sit, stupri, homicidii, vel alterius delicti causâ, ea repeti non possit, quia uariis que turpitudine tam dantis quam accipientis versatur, l. 3. l. 4. C. de conditi. ob turp. caus. & l. 2. C. de tit. secus, si tantum turpitudine sit ex parte recipientis, ut puta, Dedi tibi, ne furtum faceres, ne hominem occideres, vel ut depositum vel commodatum restitueres. Nam his & similibus spe-

ciebus repetitioni locus est, l. 2. d. de tit. si tamen, priusquam delinqueres, dederim. Nam quòd post delictum admissum datum est, non repetitur, cum solutio subsequens aboleat & purget turpitudinem præcedentem, l. penult. d. eod. Idem eorum servatur in metu, quem & expellit subsequens spontanea solutio, l. 2. C. de his qua. vi. metus caus. Adde quæ diximus alibi ad c. Cum sunt partium sup. not.

REGULA LXVI.

Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

Vide quæ tradidimus ad cap. Impulsari supra eod.

REGULA LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

HUIC consequens est, sicut prohibemur nostro nomine exercere usuras, ita & alieno nomine, etiam pro redimenda vita captivi, cap. 4. Ext. de usuris Parens quoque, qui sibi testamentum facere non potest, nec liberis suis potest, Parag. liberi Instituit. de pupill. substituit. Aliaque exempla brevitate studio omittimus Sed restringenda est hæc Regula: nisi ratio prohibitionis ex persona mea proveniens, cesset in persona alterius. Ut ecce, certum est me non posse meo nomine consentire in matrimonium cum mea consanguinea vel affine intra quartum gradum, c. Non debet Ext. de consang. & affin. et non prohibeatur extranei nomine, tamquam procura-

tor cum eadem matrimonium contrahere, cap. fin. de procurator. lib. 6. quia in extraneo cellas impedimentum, quod ex parte mea subest. Item filiusfamilias in iudicio sine consensu patris agere vel conveniri non potest, cap. 3. de iudiciis lib. 6. l. fin. Parag. 1. Cod. de bonis qua. lib. et alieno nomine potest, cap. Quis generaliter Parag. 1. de procurator. lib. 6. quia nullum hic periculum filio vel patri vertitur: cum si causa eadat filio, executio sententiæ in principalem dirigatur, l. Plantius 61. d. de procurator. vide tamen Berrol. ad d. Parag. 1. Sic licet per alienum fundum invito domino, ire, & agere meo nomine non possim; tamen alieno nomine possim.

possum, qui servitutem eundi vel agendi habet, *l. si stipulatus fuero* 11. D. de verb. oblig. Et qui aliàs iudex non est, ex delegatione iudicis ordinarii

rectè iudicat, *totor. Decretal. De offic. & pot. iud. deleg. Verum hæc & similia, ex persona alterius fiunt, cui ea licent,*

REGULA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

Hæc Regula superiorem non malè sequitur. Illa negativa est, hæc affirmativa, in eodem argumenti genere. Quod spectat Titulus utriusque iuris de procuratoribus: *Uti procuratorum*, inquit J. C. *perquam necessarius est, ut qui rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios possint vel agere vel conveniri, l. 1. Parag. penult. de procurator.* Item, in aliis obligationibus facti, receptum est, *per text. in l. Veteris 13. circa fin. de contrah. vel committ. stipul. l. Continuum 37. Parag. si ab eod. de verb. obligat.* Qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur, *cap. Qui facit infr. eod. nisi ubi personæ industria electa est; puta si specialiter actum sit, ut quis suis operis factum præster, l. Inter artifices 3. D. de solut. aut personaliter negotium exequatur, cap. fin. & ibi laicus Ext. de offic. & pot. iud. deleg. vel pro forma introductum sit à lege, ut res non per alium, sed per seipsum explicetur, sicuti in recitatione sententiæ, quæ ab ipso iudice fa-*

*cienda est, l. 1, 2. & 3. C. de sentent. ex brevi c. v. cit. (exceptis tamen illustribus personis, quibus etiam id per alios licet, dist. loc. 2.) Item testamenti factio, quam per se præstare debet testator, non permittit voluntati alterius, l. Illa institutio 32. l. Si quis Sempronium 68. D. de hered. institut. vide quæ tradunt Dd. ad cap. Cum tibi 13. Ext. de testam. vel aliàs factum proprium requirit lex: ut in confessione peccatorum, quæ ab ipso poenitente coram Sacerdote explicanda est, *can. 88. Quam poenitent. de poenitent. dist. 1. in tutore, curatore & procuratore, qui antequam per alium in iudicio agere possunt, lis antè ab ipsis contestanda est, l. Neque 11. l. procuratoribus 22. cum l. seqq. C. de procurat. tum criminales causa per se, non procuratorem agitantur, l. penult. Parag. 1. D. de publ. iudic. c. Veniens 15. Ext. de accusat. In summa ubi lex vel conventio partium proprium factum desiderat, cessat hæc Regula nostra.**

REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

Elegantè Isidorus. *In malis promissis, inquit, rescinde fidem: in turpi voto muta decretum; quod incausè vocasti, no facias: impenim est promissio, qua seclere adimpletur. textus est in can. In mala xxii. quest. 4.* Quare ex huiusmodi promissione nulla nascitur obligatio, *l. Generaliter 16. D. de verb. oblig. ne quidem si iuramentum accesserit, cap. Non est obligatorium sup. eod. Imò mala promissa à iure inter impossibilia recensentur. Nam, ut scitè ait Papinianus, Quæ facta ladunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, text. in l. filius 15. D. de condit. institut. Quare verbum,*

expedit, in regula nostra ad necessitatem trahendum est.

Neque his adversantur Tituli iuris, de dolo malo & de eo quod metus causa; quibus id quod dolo vel metu gestum est, ipso iure valet, sed ex edicto Prætoris rescinditur; ac dolus malus & metus per se turpes sunt. Quia responderet; etiam si per se turpes sint, non tamen res ipsa, quæ promittitur vel geritur per dolum vel per metum, in se turpis est. Quæ specie loquantur dicti tituli: Regula verò nostra exaudienda est de turpi: inquit enim, *in malis promissis; non verò in male promissis; quæ diversa sunt,*